

vapores, ac crassi inter aspectum nostrum & Solem, ex quibus pluvia generatur.

RESTAT tandem quaestiuicula brevis, an videlicet omnes stellæ sint figuræ etiam sphericæ, quandoquidem ex dictis perspicuè relinquuntur, cælum esse sphericum. Qua in re non defuerunt nonnulli, qui putauerint, tot esse varias figuras in astris, quot sunt in his inferioribus. Verùm quia temere istud videntur asseruisse absq; vlla ratione probabili, dicendum est cum omnibus Astronomis ac philosophis, stellas omnes esse figuræ rotundæ ac sphericæ. Quod quidem manifeste patet in Luna, quæ circulariter a Sole lumen recipit, quod nullo modo fieri posset, nisi ipsa spherica existeret: Cum igitur de omnibus astris eadem esse ratio uideatur, concludendum est, omnia esse spherica. Idem confirmari potest ex eo quod omnes stellæ in quacunque regione, & vbicunque in cælo constitutæ fuerint, rotundæ no bis apparent, quod fieri non posset, nisi rotundæ essent, ac sphericæ: Quod multo euidentius demonstratur in planetis; Cum enim iuxta communem sententiam Astronomorum circumferantur in epicyclis, non poterunt semper vni & idem latus ad nos conuertere. Quare cum semper rotundi appareant, necesse est eos vndiquaque esse sphericos: hæc namque figura spherica inter omnia corpora hoc habet priuilegium, vt circunquaque inspecta circularis, atque rotunda uideatur. Huc accedit, quod natura in his inferioribus maxime rotunditatem, quantum potuit, affectauit; Vt uidere est in animalium membris, arborum truncis, in fructibus & reliquis huiusmodi, quæ omnia ad rotundam figuram, quoad fieri potest, tendere uidentur; Quoniam uidelicet, ut supra dictum fuit, figura rotunda nobilissima existit. Quam ob rem non sine causa corporibus omnibus celestibus, quæ omnia alia nobilitate superant, figuram nobilissimam, qualis est rotunda atque spherica, concessisse natura uidetur. Hoc etiam præsertim sine, ut equaliter ex omni parte suos radios possent diffundere, ac plenius vndiquaque a Sole illustrari.

### TERRAM, ET AQVAM ESSE ROTVNDAS.



QVOD etiam terra sit rotunda, patet sic. Signa & stellæ non æqualiter oriuntur, & occidunt omnibus hominibus ubique existentibus: Sed prius oriuntur